

# Odyssæ Ho-

MERI LIBRI XXIIII.

N V P E R

A SIMONE LEMNIO EM-  
porico Rheto Curiensi, Heroico  
Latino carmine facti, & à mendis  
quibusdam priorum trans-  
lationum repur-  
gati.

A E C C E S S I T E T B A T R A C H O-  
myomachia Homeri, ab eodem secundum  
Græcum Hexametro Latini-  
tate donata.

Cum Cæs. Maiestat. & Gallorum  
Regis gratia & priuilegio ad  
quinquennium.

BASILEÆ.

Ultima saxosæ penetralia prendimus aulæ,  
 Vitamusq; procul monstroſi membra gigantis.  
 Tunc et oues pingues claudit, caprasq; ſalaces  
 Impulſas intra latæ ſpelæa cauernæ.  
 Mox ſtabulis cunctas mulget: ſed detinet extra  
 Terrificas caulas agnosq; hircosq; petulcos,  
 Lanigerosq; mares. tum tollit in aera poſtes.  
 Trudit et inde gemens immanem ad limina ualuam,  
 Saxum ingens, grauido quod pondere ſubleuat alte,  
 Quale bis undeni currus crepitante ſub axe  
 Vix ab humo ueherent bis bina mole, rotarum:  
 Vſq; adeò admouit celsam pro cardine rupem.  
 Dehinc residens, et oues blandas, caprasq; cientes  
 Balatum mulget, pressabat et ubera palmis  
 Ordine traſta ſuo: foetus poſt mulcta capellæ  
 Quæq; ſuos repetunt, calathisq; ē uimine textis  
 Dimidium niuei fundit per uimina lactis  
 Concretæ ſeruans ad plena coagula maſſæ,  
 Per quæ rara ſero ſtillat uia facta liquores.  
 Altera pars illi uafis retinetur amœnis,  
 Quam bibiturus erat reparans conuiua cœnæ.  
 Tunc flammam incendit. cunctis ſic rite peractis,  
 Nos adeò primùm tenebroſo aſpexit in antro,  
 Sub ſaxo trepidos, uerbis ſic querit amaris:  
 Vnde peregrinis fulcatis nauibus æquor,  
 Perq; uias liquidas, et cœrula concita uentis?  
 Qui uos eftis? ait. cur huc uos, hospita turba,  
 Pupibus aduecti? num merces æquore fertis,  
 Per uada ſalsa maris iactati fluctibus atris,  
 Traieciſſe iuuat propter commercia pontum?

Polypheſus  
 aduenas Itha-  
 cos alloqui-  
 tur.

An per aratis aquas pelago, frustraque meantes  
 Erratis, ueluti prædones gurgite cano,  
 Pirataque rates armis super æquore celso  
 Lentatis, posita tristi in discrimine uita  
 Per uarios casus, turba exitiosa per undas,  
 His qui cana legunt externi marmora classe,  
 Ac miserorum hominum merces inhiatis acerbis  
 Sic ait. at nobis gelida formidine peclius  
 Frangitur, hic clamorque et corpus terruit ingens,  
 Terrificosque sonos, monstrumque tremiscimus atrox.  
 Impleuit clamore locum. uix pauca furenti  
 Subijcio, et raris turbatus uocibus hisco :

Ulysses Cy-  
clopi.

Pellimur à Troia magnis erroribus acti  
 Graiugenæ infausti, quos fudit Achaica tellus.  
 Huc nos Auster aquis egit, siveque procellæ  
 Ventorum, et uasti rapuere per æquora fluctus.  
 Dum cupimus patrios uelis repetisse penates.  
 Isse uias alias, aliudque iter æquore celso  
 Compulit infelix casus. Sic Iuppiter altus  
 Nos alio miseros uoluit dare linte a uentis,  
 Atridæ regis populos, Agamemnonis alti,  
 Cuius in immensum contendit gloria cœlum,  
 Qui tantæ excidit mauortia moenia Troiæ,  
 Qui tot deleuit populos sub Marte feroci?  
 Ad tua nunc fugimus genua, oramusque profecti  
 Littus ad hoc uestrum : miseris succurre, leuisque  
 Hospitijsque pius fer dona precantibus ipse :  
 Siue aliud munus quod te modo cunq; decebit,  
 Hospitibusque datur : neu despice uota precesque.  
 Sed reuerere deos, precor ô pater optime Cyclops.

Turba

Turba sumus supplex, miserere benignior hospes  
 Hic, Iouis exemplo, qui supplicibusq; bonisq;  
 Auxilium hospitibus præbet, uindexq; tuetur  
 Hospitij fautorq; ultorq; comesq; piorum,  
 Iuppiter accedit peregrinos saepe sequendo.  
 Hæc ego cum dixi supplex, exarsit in iras,  
 Truxq; minas affert, et uerba atrocia fundit:

Haud sapis o hospes, quicunq; adueneris unda  
 Huc procul ad littus, longinquis uectus ab oris,  
 Qui curare deos, aut numina celsa uereri,  
 Seu uitare iubes, profugus qui littora calcas.  
 Crede louem nulli metuunt Cyclopes in antris.  
 Non tonitru curant, non ægide fulmina quassa,  
 Fœlices ue deos. maiorq; potentia nostra est.  
 Possimus et dextra, uolumus si, uincere diuos.  
 Non odium, non ira Iouis, non fulgura terrent,  
 Ut tibi cum socijs parcam. si deniq; mente  
 Non mihi concepi, pasces mea uiscera præda.  
 Dic mihi, qua regione rates religaueris altas  
 Concitus huc undis, an sint propè, siue rudentes  
 Extremo teneant fessas in littore naues.  
 Hæc ita fatus erat, quo me tentaret in antro.  
 At non me latuit, fœcundum pectus habentem.  
 Callidus ergo illi ficto sic corde loquebar:

Ipse mihi fregit nauem Neptunus in undis,  
 Concutiens terram, scopulisq; affixit acutis,  
 Collisq; rates saxo prope littora uestrae  
 Disiecit terræ, quæ rupes ardua tendit.  
 Namq; procellosus detorsit ab æquore uentus,  
 His solus socijs fugi uix ipse ferocem

Polyphemus  
Ulyssi.

Cyclopes de  
otum con-  
tempores.

Ulysses Po-  
lyphemo.

Cyclops du-  
os Vlyssis fo-  
cios deuorat

Perniciem undarum ponto, pelagiq; ruindas.  
 Ille nihil, rabiem truculentior ore fatigans,  
 Insurgensq; simul rapuit duo corpora nostra,  
 Corpora prensa uirum, scopuloq; illisa cruento  
 Tundit humi, ueluti catulos, & ab ubere raptos  
 Matris ouis foetus, cerebrumq; cruore fluebat,  
 Guttatumq; solum rubefecit sanguine sparso,  
 Humeabat humum tabo, cerebriq; liquore,  
 Truncatimq; uirum per partes corpora cesa  
 Apponens coenam crudelior arte parabat:  
 Ceu leo montanus, rabies quem uertice rupis  
 Exacuit, prædam uorat incitus ore cruentam.  
 Sic quoq; direptos rabidam coniecit in aluum.  
 Non carnes ullas, tepidis non ossa medullis,  
 Ilia nulla solo liquit, uorat omnia dirus.  
 Horror habet mentes, intentant omnia mortem.  
 Tendimus heu flentes trepidas ad sidera palmas,  
 Vota loui facimus, crudelia facta tuentes.  
 Ut uero humano repleuit uiscere uentrem,  
 Atq; hominum carnes uastam congesit in aluum,  
 Insuper epotat tetro mulcralia lacte,  
 Ac ueteri pecorum concreta coagula succo.  
 Mox grauior stabulis inter pecora ipse recessit,  
 Et tepido stratus iacuit resupinus in antro.  
 Saepè quidem libuit ferro, dum sterteret ille  
 Destruxiſſe iecur, uulnusq; infligere corde.  
 Sic mibi saepè quidem lateris, quo munior, ensem  
 Stringere suadebant fortissima pectora marte,  
 In pectusq; illi ruere hic per uulnera mille,  
 Quà iecur aduersa dirimunt præcordia sape:

Aſt